



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 35. Condæi Principis Literæ ad Reginam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

jamjam irruerat, ac Mesieras urbem, & arcem cum suis militibus occupaverat, eodemque ferme temporis articulo Mayenius Sueffiones, Longavillæus Picardiam, & Cæsar Vindocinensis Armoricos aggressus est, totamque minorem Britanniam ferro flammisque devastans incolas prædationibus exhaustit. Erat adhuc invalida eorum factio, utpote nondum Sectariis aucta: præterea privati commodi, quo quisque ferebatur, studia sensim inter ipsos Principes dissidia conflabant: Pollicebatur quidem Bullionius, Calvinistas suos in Condæi verba juraturos, ast vix sperari poterat, hos cum Principe Catholico, cujus studium a secta hac erat alienum, conventuros.

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

§. XXXV.

Condæi Principis literæ ad Reginam.

Ut Condæus Princeps seditionis motæ calumniam a se amoveret, ad ob-
tentum, qui in bellis civilibus sat fa-
miliaris esse solet, recurrens pravam
publicæ rei administrationem prætexe-
bat, die decimo sexto Februarii per-
scripta ad Reginam sequenti hac epi-
stola satis acerba: *Quæsito ab aula se-
cessu Principes prævenerunt consulto Regni
Gallici ruinam, quæ imminet, alta illis*

*Merc. Gall.
ad hunc
annum.*

S 4

silen-

Sæc. XVII. A. C. 1614. *silentia in hanc diem ne pro crimine verba forent: si quando Regis concilio interfuerent, seruando decori magis vocati, quam promendæ sententiæ: persunctorie interpellati, quid censerent: habitaque pro caduca sententiâ, si a Regentibus discreparet, ita obmutuere, dum pessumabant res Gallicæ. Medii miserationem inter & metum salutis privatæ postposuere publicam, quod in præsentis lugent & reparant. Principes, Clerum, nobilitatem & populum pro uno ordine prava eorum administratione habent, qui Regis ætate abusi Regni statum per factiones convellunt, per avara in sui augmentum consilia dissipant, rectos pro communi omnium utilitate Regineæ affectus torquent in prava pessimis eorum consiliis, qui nova in dies moluntur. Excidio Principum, atque inveterato malo, non alia in præsens medela occurrit, quam quæ a Comitibus regni generalibus sperari potest, convocari debuissent statim ab Henrici excessu, quibus Regentis auctoritatem potentius nixam majore cultu prosecutus fuisset omnis ordo: hinc mali primordia: hinc diruta ad Sebastianos Burgi arx Regia, reluctantibus Principibus, ipsoque Mommorancio Connestabili: hinc prostigata arci diruendæ, quadringenta librarum millia: hinc in matrimonia consilium præcox & indebitum, quibus Rex ipsiusque Soror impuberes in Austriacæ gentis consortia transeunt, infausta Gallis: hinc parlamen-*
torum

torum libertas oppressa: hinc arcium, hinc Sæc. XVII.
 urbium præfeturæ pro regentium libidine A. C. 1614.
 distributæ: hinc dissidia Sorbonam inter &
 reliquos Theologicæ Doctores, per vanam
 disputandi licentiam aucta, parum debito
 tempore: hinc Ecclesiæ Præsulum authori-
 tas læsa: hinc dignitates per odia adem-
 ptæ probis, per gratiam procuratæ im-
 probis & indignis, posthabita Principum
 & primorum autoritate, quorum ea con-
 siliis geri e republica erat: hinc delecti
 arbitrio novæ gentis, nullo Principum
 suffragio, & exteri Principes legati, ad-
 ditis libellis in compendium memorialibus,
 per quos prodita & commissa arcana re-
 gni Tyronibus nequam & imperitis, pro-
 cul habitis, quorum res agebatur: hinc
 in Navarram & Monserratum machina-
 tiones ab externis Principibus destinatæ:
 hinc Venetos inter & Rhetos expetita o-
 lim ab Henrico IV. fœdera impedita: mu-
 tata hinc matrimonii cum Sabaudis con-
 silia, ejusdem Henrici votum: hinc edicti
 Nannetici violata fides, quæ Henrico su-
 persite steterat, ara concordiæ, præsidium
 genti, unde hodie Sectariis legitimi que-
 sus, & in ultionem arma: hinc empta
 trecentis librarum millibus Ambasia, arx
 Regia: hinc dona immensa in immerentes
 collata per exhaustum cæsarium: sic debi-
 litatæ Galliarum vires, & paucos inter
 eosque ignotos, nisi per scelera & cædes,
 S 5 divisa

Sæc. XVII. *divisa ærarum immensa spolia, quæ nefas est
A. C. 1614. Principibus inconsultis, neque participibus
profligari: quæ cum ita sint, e Republica
est, ut trium Franciæ Ordinum comitia in-
tra trimestre indicantur, quo temporis in-
tervallo meam, ceterorumque fidem adstrin-
go, nihil armis innovandum per nos, quibus
una cum Regno salus est in ejus fortunam
natura vocatis. Interim suspendi petimus
destinata Regum matrimonia.*

§. XXXVI.

*Reginæ responsum ad Condai
litteras.*

*Gramont.
l. c. p. 42.
Janson.
contin.
p. 410. &
seqq.*

Has literas Regina die vigesima pri-
ma Februarii accepit, ex quibus
cum suam præcipue administrationem
peti, probe intelligeret, hinc diluen-
dæ in suum caput calumniæ studio mox
Condæo hæc in verba respondit. „Ipsa-
„met diu comitia indicere statuebam,
„obstitere tamen seditiones, quarum
„pars magna es: objicis, quod largi-
„tione Regia plerosque etiam præter
„meritum auxerim: ast motus undique
„concitatos, Rege impubere, partim
„consilio, partim dissimulando, partim
„liberalitate, prout necessitas deposce-
„bat, dissipare studui, minime Princi-
„pum, nec tui oblita: hos ego nur-
„quam despexi, sed Provinciarum Præ-
„fectu-